

**R. P. Walterus Perriens (1867-1935)***(Vice-Prov. Brasil.-Holland.)*

Die 25 Nov. 1935, anno aetatis 68<sup>o</sup>, in collegio Bellohorizontino Vice-Provinciae Brasilianae Hollandicae obiit R. P. Walterus Iacobus Perriens, qui Vice-Provincialis et Superior domnum Rio de Janeiro et Campos optime de Vice-Provincia meritus est.

Walterus Perriens die 8 Febr. 1867 in pago Roosteren, provinciae Hollandicae Limburgensis, honestis ac piis parentibus ortus, iam ab initio pietatis specimina dedit. Die 2 Maii 1879 licuit ei primum ad mensam eucharisticam accedere. Cursu scholae in Roosteren peracto,

per annum in collegio *Maesijck* in studia incubuit. Quamquam iam puer caeremonias liturgicas imitabatur, nonnisi 13 annos natus divinam audivit vocem, quae eum ad sacerdotium invitabat. Quo anno illi mira quaedam animi superveniebat dispositio. Deus enim permisit, ut Walterus indifferenter pro vocatione ac studiis sese sentiret. Parochus autem loci Walterum studiis valedicere noluit, suadens, ut exercitia spiritualia sequeretur atque in fine eorum firmam caperet respectu vocationis decisionem. Diebus sacri recessus elapsis fortem in se observavit ad statum sacerdotalem inclinationem. Anno 1889 humaniora studia ac philosophiam in Seminario *Rolduc* dioecesis Buraemundensis absolvit. Vehementi inflammatus desiderio se totum Dei servitio in nostra Congregatione consacrandi, S. Alfonsi veste indutus est die 29 Sept. 1889 in novitiatu Buscoducensi. Nuncupatis anno sequenti votis religionis Wittemium profectus est, in theologiam dogmaticam et moralem incubiturus. Die 27 Aug. 1893 sacerdotio auctus est.

Studiis absolutis, paululum ut missionarius in collegio Buscoducensi degit. Postea iuvenis Pater Seminario nostro vires suas dedicans lectoratus officio optime perfunctus est. Anno 1896 nominationem accepit pro Missione Brasiliana. Hac occasione animi sensus sic manifestavit in epistola ad Pl. R. P. Provinciale: « Nominationem non existimo mihi adeo arduam. Consuetudinem quippe iamdudum habeo ex amore Cordis Iesu offerendi me pro salute animarum. » Certe pia hac consuetudine factum est, ut per totam vitam specialis caeli benedictio in ministerium apostolicum desideratissimi Patris descenderit. Generose patriam dilectam reliquit, novam linguam didicit, novo vitae generi sese assuefecit. Per aliquot

annos equo vectus vastam regionem peragravit sese ac missionibus zelo vere apostolico in variis appidis pagisque devovit.

Obœdientia vero eum e campo missionis sustulit. Anno 1903 arduum quippe opus illi commissum est construendi et collegium et ecclesiam S. Alfonsi in *Rio de Janeiro*. Templum Alfonsianum usque nunc centrum est pietatis fidelium ac sedes archisodalitatis Sacrae Familiae (*Liga Catholica*), facultatem habens aggregandi in tota Brasiliae eiusmodi sodalicia. Qua Rector huius collegii et Director archisodalitatis Sacrae Familiae et membrum associationis *da Boa Imprensa*, P. Perriens operositate sua populi et cleri existimationem sibi reconciliavit. Postea Missionem nostram Surinamensem per tres annos Visitator gubernavit.

Anno 1912 Brasiliam reversus Vice-Provinciae Holl.-Brasilianae prae-positus est, observantiam regularem zelans et labores apostolicos stimulans. Anno 1918 visitationem extraordinariam Vice-Provinciae Argentinae mandatu Rm̃i Patris Generalis instituit. Pro Capitulo generali anni 1921 electus est Vocalis. In fine vice-provincialatus novas quasdam incepit foundationes, e quibus collegium in *Campos* et collegium ad Boni Iesu in *Congonhas do Campo*, cui iuvenatus Vice-Provinciae annexus est, adhuc supersunt.

Sex annis Superioratus in Campos elapsis, ultimam vitae partem pergit in collegio Bellohorizontino, ubi ministerio sacro strenue sese dedicavit, assidue in confessionali permanens, moderator magnae populi partis.

Memoratu dignum est R. P. Walterum etiam apostolatam exercuisse calami; duos enim edidit libellos: *O perdão divino*<sup>1</sup> et *O thesouro desconhecido*<sup>2</sup>. In foliis quoque hebdomadariis ab eo editae sunt commentationes quaedam multum laudatae: «De Missionibus» et «De Actione Cath. in Hollandia.» Felicem praeprimis exitum sibi vindicavit conferentia habita in congressu Boni Preli coram nonnullis Episcopis et clero et populo.

Iam ad foundationem diarii catholici perveniamus.

Cum zelo haud communi laboravit, ut in capite Status Minas Geraes folium diurnum constitueretur, et usque ad mortem omnes vires adhibuit, ut tale folium ubique divulgaretur. Mos illi erat dicere se libenter vitam daturum pro diario catholico. Itaque in aula redactionis huius folii post eius mortem in praesentia Exm̃i et Rm̃i Archiepiscopi D. Antonii dos Santos Cabral et cleri effigies defleti R. P. Perriens sollemniter inaugurata est.

Ineunte mense Novembri anni elapsi R. P. Walterus petivit oppidum Itú in Statu S. Pauli ad visitandas et instruendas Moniales SS. Redemptoris, quem Ordinem ipse a. 1921 in Brasilia implantarat et cui semper specialem devoverat benevolentiam.

<sup>1</sup> Cfr. E. SAINT-OMER, *Les clefs du Paradis*.

<sup>2</sup> Cfr. CHR. BOOMAAKS, *De ware Goudmijn*.

Rediens Bello Horizonte, iter 22 horarum via ferrea uno traiectu perfecit atque morbo, ut dicitur, Hispanico affectus est, cui non potuit resistere. Quinque diebus in lecto permansit. Gravitatem sui status percipiens sponte sua ultima sacramenta petiit a domus Rectore et in eius manus vota renovavit. Demum orans placidissime animam Deo reddidit.

Tunc vero patuit, quanta existimatione omnes eum revererentur ac quanto amore omnes eum colerent. Primi venerunt Archiepiscopus Bellohorientinus quem supra commemoravimus, et Eximius D. Carolus Vasconcellos, Archiepiscopus Maranhensis, copiosis lacrimis desideratissimum Patrem deplorantes. Archidioecesis spoliatum se videbat apostolo activo, populus praeclarum ac prudentem perdebat directorem conscientiae, confratres Vice-Provinciae dilectum amittebant fratrem, qui per longos annos ipsis praefuit et postea humilitate, obediaentia pietateque omnibus exemplo fuerat.

Emus Cardinalis D. Sebastianus Leme Missam pro defuncto celebravit. Idem fecerunt supra laudati Archiepiscopi aliique quatuor Brasiliae Praelati insignes, sicut etiam multi sacerdotes cleri saecularis ac regularis.

Die 25 Novembris magnificum templum S. Ioseph replebat immensa multitudo orans et plorans, ac continuo coronae et flores afferebantur. Summo studio fideles Missas celebrandas curarunt, et multi epistolas et telegrammata miserunt.

Certatim ephemerides et periodica abundantibus laudibus defunctum confratrem extulerunt. Illustris quaedam familia gratuito sepulturam primae classis paravit, et ipse Archiepiscopus sponte sua sollemnes exequias peragere voluit.

Sub umbra crucis in coemeterio urbis principis Status Minas Geraes hic sodalis optime de nostra Vice-Provincia meritis ultimum expecta diem.

Procul dubio coronam iustitiae cursu consummato reddidit ei Dominus iustus iudex, qualem coronam S. P. N. Alfonsus, cui in capite Brasiliae pulcherrimum erexit templum et collegium, filiis suis genuinis in caelo paratam esse praedixit.